DE
TYPHI CUM VARIOLIS COMPLICATIONE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

CONSCRIPSIT

ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XXII M. DECEMBRIS ANNI MDCCCXLIX.

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS REINHOLD

BARMANUS.

OPPONENTIBUS:

H. WEBER, MED. DR. PRACT.
A. GÜNTHER, MED. CAND.
A. VELHAGEN, IURIS STUD.

BONNAE.

TYPIS CAROLI & FRIDERICI KRÜGER.

VIRO ILLUSTRISSIMO

OPTIME DE ME MERITO

FRIDERICO NASSE,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORD., DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIETAT. LITTER. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC.

PATRI

DILECTISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS SANCTAS ESSE VULT

AUCTOR.

Contendit celeberrimus vir Eisenmannus in tractatu de familia morbi typhici non posse typhum cum variolis complicari. Iam historiam morbi enarrabo, qua longe aliter rem sese haberi, satis probari mihi quidem persuasum est.

En morbi historia: C. H, oppidulo Gelsdorf natus est parentibus sanis adhuc vivis. Consanguinei quoque optima etiamnunc gaudent valetudine. Nulla ejus generis signa, quae scrofulosae tribui solent sanguinis dyscrasiae in aegroto ipso observata sunt. Ante aliquod tempus laboverant in aegroti domo herus, servus et ancilla febre nervosa, quorum quidem ancilla morte obiit. Aegrotus noster, qui apud hos omnes custodis munere erat functus d. II. mensis Quintilis queri coepit de capitis dolore necnon de virium languore· Contra quod medicus qui tunc ei medebatur emetico usus est medicamine.

Quod quum levamen non attulisset, in clinico regio receptus est.

Status praesens aegroti (d. VIII. mensis Quintilis): Aegrotus viginti et unum annos natus statura est satis robusta, magnitudine corporis media. et quidem a qualicunque sanguinis depravatione liber Frontis calor est auctus. Queritur de dolore capitis obtuso. In regionibus iliaca dextra, epigastrica atque umbilicali adest dolor pressione augendus. Strepitus murmurans in his locis non observabatur. Pulsus frequens, cutis calida; interdum diarrhoea adest.

Cura haecce instituitur: Hirudines ad frontem applicandae, corpus aqua tepida et aceto abluendum. Praeterea Decoctum radicis Salep.

IX. Capitis dolor auctus. Diarrhoea quoque adaucta. Adest adhuc dolor in abdomine, pressione augendus.

Cura: Decoctum radicis Salep, corporis ablutiones, fomentationes frigidae in abdomen applicandae.

X. Signa parum mutata. Diarrhoea adhuc aucta. Sunt autem alvi excretiones coloris cinerei, maxime foetidae. Sanguis non inest.

Cura: Decoctum rad. Salep. clysmata mucilaginosa.

XI. Exanthema typhodes non observatur. Adest tussis fortis et sicca. In pectore auditur respiratio bronchialis. Diarrhoea imminuta. Pulsus minus frequens. Lingua humida. Cura eadem, nisi quod frigus non jam applicatur.

XII. Respiratio adhuc est bronchialis, tamen sonus, quem pectus sub digito percutienti reddit non est fuscus. Tussis fortis et sicca, pulsus frequens. Alvus sexies per diem soluta. Lingua muco obtecta. Capitis dolor auctus. Aegrotus noctu delirarat. Vires adhuc bonae, cum adhuc possit sese erigere aegrotus. Adsunt fuligo dentium, sitis permagna.

Cura: Decoctum rad. Salep. clysmata mucilaginosa, fomentationes glaciales in caput applicandae. Spiritus Mindereri.

XIII. Signa illa parum mutata, stupor, qui priore die inceperat augetur, vires languescentes, alvi evacuationes adauctae. Sudor nullus, fuligo imminuta.

Cura: Spiritus Mindereri seponitur. Sinapismus in pectus applicatur.

XIV. Nihil mutatum. Aegrotus sese erigere jam nequit. Adauctae alvi evacuationes.

Cura: ℞ Decocti rad. Althaeae ℥VI
Carbon. vegetabil. ʒII
DS. unam cochleam per horam.

Clysmata mucilaginosa.

XV. Alvi excreta nigra. Adaugetur diarrhoea. Pectoris affectionis signa pejora.

Cura; Sinapismus. Carbo animalis. Clysmata.

XVI, Delirium nocturnum, stupor magnus, fuligo dentium adaucta. Crebra narium epistaxis. In tergo auditur rhonchus subcrepitans, qui pneumoniae hypostaticae tribuitur. Pulsus frequens. Cutis calida.

Cura: Decoct. rad. Arnicae. Clysmata cum aceti plumbi guttis XX.

XVII. Aegroti status pessimus. Signa illa adaucta. Pulsus valde frequens, delirium non interruptum. Alvi et urinae excretiones involuntarie fiunt. Adest decubitus. Lingua ab aegroto non porrigitur. Cutis calida. Diarrhoea nonnihil imminuta.

Cura: ℞ Decoct. rad. Arnicae ℥VI. Liq. ammon. succinic. ʒIβ.

XVIII. Signa eadem. Diarrhoea revenit. In cuti apparent nonnullae pustulae, variolarum pustulis simillimae, neque tamen depressione centrali praeditae. Quarum unam medicus nigricantem vidit et die sequenti in decubitum transeuntem. Neque causa eruptionis occulta videbatur. Namque in cubiculo adjacenti, quod per januam eamque fere semper apertam cum aegroti nostri cubiculo communicabat, degebant duo aegroti, qui variolis laborabant.

Cura: Fomentationes frigidae ex aqua plumbi parandae. Decoct. rad. Arnicae, liquor. ammon. succin. Clysmata ex aceto saturnino paranda.

XIX. Signa eadem. Dolor in abdomine adhuc adest.

Cura: Spiritus Mindereri interdum dabatur. Decoct. rad. Arnicae. Cataplasma ad decubitum Autenriethii.

XX. Pectoris affectionis signa adaucta. Eruptio cutanea coepit decrustari.

Cura: Sinapismus. Spiritus Mindereri. Decoctum Arnicae cum liquore ammon. succin.

XXI. Noctu apparuit sudor copiosus. Aegrotus tempore vespertino delirare coepit usque ad horam tertiam matutinam. Sequitur somnus tranquillus usque ad meridiem. Lingua humectata. Alvi et urinae excretiones fiunt involuntariae. Diarrhoea imminuta.

Cura. Spiritus Mindereri sine liquore ammon. succin.

XXII. Idem status eademque cura.

XXIII. Idem status eademque cura.

Durat hic status usque ad d. XXIX mensis Quintilis.

XXX. Aegroti status melior. Ad vires roborandas (decubitu adaucto) quum cortex Chinae et jus e carne paratum propter dolorem, qui in regione epigastrica adhuc aderat, dari non liceret, praebitum est aliquid panis albi cum lacte. Praeterea Spiritus Mindereri sine Arnica.

I. mensis Sextilis. Aegroti status deterior. Lingua arida, pulsus frequens. Alvi excretio argillacea, delirium ut antea, nisi quod est magis inquietum.

Cura: Decoctum rad. Arnicae, Spir. Mind. et fomentationes in decubitum factae e Chinae decocto cum vino parandae.

II. Idem status eademque cura.

III. Status parum mutatus. Eadem cura.

IV. Lingua arida, rubra, os muco obtectum; diarrhoea nulla, dolor in abdomine adest, pulsus centum et viginti ictuum in sexagesima horae parte. Decubitus unoquoque in loco gangraenosus. Cura eadem nisi quod interdum vini Gallici cochlearium datur.

VI. Apparuere hodie quinque pustulae in dorso, variolarum pustulis simillimae, atque in regione trochanteris majoris dextri tres. Fiebant papulae brevi temporis spatio pustulae, quarum area erat colore subrubro tincta. Partem autem exsiccabant, partim sese aperuerunt. Crusta, eam dico quam merito nomine illo denominare possim, non apparuit. — Ex tribus diebus alvus non soluta, pulsus frequentissimus, tendinum subsultus. Cura: Infusum rad. Serpentariae (e ʒII) ℥VI extract. chin. aquos. ʒβ chinin. sulphurici gr. VI interdum vinum Gallicum et jus e carne paratum.

VII. Loca gangraenosa meliorem praebent adspectum. Nonnullis in locis gangraenosum jam detruditur. Adspectus aegroti melior.

Cura: Ad decubitum applicatur: Decoct. Chinae ℥XII cum cataplasmate ad decubitum Autenriethii ℥IV. Cum typhus sit praeterlapsus, pathemata modo localia jam sunt curanda. Vires igitur roborandae. ℞ Infus. rad. Serpentar. (e ʒIII) ℥VI. Extr. chinae fuscae ʒβ. MDS. Unum per horam cochlearium sumat.

VIII. Pulsus valde frequens, inprimis vespertino tempore, faciei adspectus melior quam heri quum turgor vitalis sit adauctus. Alvus bis soluta. Jus e carne paratum datur.

IX. In fossa axillari sinistra invenitur tumor mollis ruber, ad ovi columbini magnitudinem, qui pro furunculo habebatur. In regione lumbali dextra adest tumor ad magnitudinem pugae, oedematis consistentia, normali tectus cuti. Habebatur autem hic tumor ab his pro abscessu, qui dicitur, lymphatico, ab illis pro abscessu congestionis. Pulsus frequens, centum et viginti in sexagesima horae parte ictuum. Alvus ter soluta. Excrementa, quae tertio evacuabantur, erant tenuia. Lingua arida. Loca gangraenosa detrudi coeperunt. Cernitur sub iis granulatio satis bona. Extractum Chinae seponitur.

XII. Noctu aegrotus multum sudavit, non dormivit. In manu sinistra cerni licebant quinque variolae, quarum duae papuliformes, una vesiculosa, duae jam pustulosae, adspectus pallidi. Vinum et serpentaria, quae usquedum data erant seponuntur.

Morte obiit aegrotus d. XVII. mensis Sextilis.

Obductio cadaveris instituebatur viginti quinque horis post mortem, quum rigor mortis jam evanuisset, maculae mortis autem totum fere corpus obtegerent.

Thoracis inspectio haecce praebebat:

Pulmo sinister in parte posteriore aliquo modo connatus cum pleura costali. Pulmo dexter toto ambitu liber erat. In lateribus ambobus erat magna fluidi serosi copia, ponderis circa VIII ad X unciarum. In lobo dextro medio locus quidam adest ad nucis juglandis regiae magnitudinem, quem si cultro diviscis, planum tibi praebebit granulatum aliquo modo, coloris atro-rubentis et quidem ejus ponderis ut in aquam injectus demergeretur. In eodem lobo inest locus alter minoris ambitus, ejusdem autem generis. Tela in toto ambitu est compressa. In lobo inferiore non adest locus, illis, quorum supra mentio est facta, similis, sed corpora ibi adsunt lutea ad lentis magnitudinem, a partibus circumjacentibus distincte secreta. Pulmone inciso magna fluidi subrubri et serosi copia effluxit. Lobus hic in aqua nare potest. In lobo superiore sunt duo loci, iis, qui in medio inveniebantur similes, tubercula nulla. Neque corpora adsunt lutea sicuti in lobo inferiori. Lobo inferiore pulmonis sinistri inciso effluxit magna fluidi copia. In lobo superiore adest locus ad nucis magnitudinem, illis, quos supra diximus, simillimus.

Cor pallidum, molle. Nihil, quod a regulari statu discreparet, in valvulis occurrebat.

Cavum abdominis: Hepar pallidum; nihil praeterea irregularis.

Lien: In superficie apparent maculae luteae non plane rotundae, ad nummuli argente magnitudinem. Incisae praebent cavernam unum et dimdium pollicem profundam, fluido purulento cinereo repletam. Tela maxime relaxata, digito facile conterenda. Microscopo, qui eam perscrutati sunt, invenerunt in massa albida copiam magnam granulorum parvorum, quae cellulas parvas irregulares formabant, exsudationibus scrofulosis et tuberculosis simillimas.

In tractu intestinali reperiebantur compluria ulcera et cicatrisata et nondum cicatrisata, et radiata et infundibuliformia.

Cerebrum, quum emoveretur, effluxere unciae tres fluidi subrubri. Arachnoidea nonnullis in locis erat opaca. Intra arachnoideam tunicam et piam matrem aderat pauxillum fluidi rubentis. Cerebri substantia solito aliquid tenacior. Nihil praeterea irregulare.

Dorsi tumor erat magnus congestionis abscessus. Coxae gangraena usque ad cavum articuli sese extendebat.

Patere mihi quidem videtur ex decursu morbi, quem narravi, hic sese complicuisse typhum et variolas. Parum autem hic interest, quorumnam opinio — certabant enim inter se, qui pustulas illas observabant, quum hi varioloidum esse, illi autem variolarum genuinarum eruptionem contenderent — parum dico interest, quorumnam opinio rei naturam propius attigerit. Namque mea quidem sententia, quae est sententia gravissimorum hac de re autorum variolois nihil est, nisi variolae in homine eo erumpentes, apud quem vaccinatio adhibita erat. Scitu autem dignum erit, utrum hoc in casu revera talis complicatio affuerit et, quinam alii casus reperiri possint, qui quum similia praebeant phaenomena, ad nostram casus illius declarationem contribuant quidquam confirmandam. Etenim celeberrimus ille autor Eisenman-

nus[1]) contendit in libro suo de typho: „Morborum fugacium inprimis erysipelaceae et variolae cum typhi generibus in hostilitate quadam declarata versantur, quae quidem et in singulis hominibus et in epidemiis cerni licet. Namque qui scarlatina aut variolis laborat, in eum typhus non incidet, qui typhis laborat, immunis est et a scartalatina et a variolis. Dominantibus scarlatina et variolis typhi non apparent, sed cum typhi epidemici sint, erysipelaceae et variolae disparent, disparent typhi, dum erysipelaceae et variolae increscunt.“ Et alio loco rei illius causam quaerit in contrarietate causarum morborum quos dicimus.[2]) Dicit enim: „Ad procreandas erysipelaceas et variolas concurrere aëris electricitatem quam dicit intensivam, sed ad procreandos catarrhos, Rheumata, choloses, pyras et typhos videri inprimis in causa esse aëris electricitatem parum intensivam sed quae ad evocanda chemicas corporum mutationes plurimum polleat. Tali et tam gravi autori summa tantum adhibita praecautione ut opponat, verecundia ipsa iuvenem docet. Quum autem mihi videar factum observasse, quod, quae ille docuit confutare possit, primum opus est, ut certior fiam de observationis meae candore et veritate, sit venia verbo! obiectiva. Testes autem mihi sunt, qui clinico nostro praeest vir illustrissimus Nasse multique alii medicae artis periti, qui omnes decursum illum morbi talem, qualem iam descripsi, observaverunt. Sed quo gravioribus momentis, observatum illud a me iusto iure tanquam typhi cum varioloide complicationem esse declaratum, possim demonstrare, opus erit primo ut quae occurrere possint in typhi decursu eruptiones cutaneae paucis adumbrem, deinde quae sit notio, et quae sint signa essentialia et typhi et

1) Eisenmann, die Krankheitsfamilie Typhus. S. 49.
2) L. c. S. 29.

variolarum, postremo autem quibus in casibus recte dici possit adesse typhi cum variolis complicationem.

Eruptiones autem cutaneae, quae in typho occurrere possunt, hae sunt:

Roseola, id est maculae rubrae, lenticulares, quae sub digito premente evanescunt, quas nulla alia cutis mutatio comitatur. Adest autem haec eruptio tam saepe, ut a nonnullis et quidem iusto iure exanthema typhi proprium appelletur. Apparere autem solet fere die sexto ad decimum quintum, secundo igitur morbi stadio. Non autem observatum est cum eruptionis cutaneae apparitione quidquam memoratu dignum in decursu morbi mutari nec ad peius nec ad melius.

Petechiae. Eruptio haec ab Eisenmanno hoc modo describitur: „Est morbillis simillimum lentis magnitudine, saepe cum cutis elevatione lenticulari coniunctum, coloris rubri, ita tamen, ut rubor digito premente evanescat, pressione cessante, a centro ad peripheriam reveniat. Rubor ipse variat pro morbi indole a colore pallide rosaceo ad laete rubrum, purpureum, violaceum, lividum, coeruleo-atrum, Exanthemate plane maturo adest in centro ut apud morbillos papula sive vesicula parva fluido seroso repleta, quae quidem saepe magis digito palpante quam oculis observari licet.“ Adest hoc exanthema inprimis in eo typhi genere, quod typhus petechialis sive pestilentialis nominatur, et a typho communi inprimis indole pestilenti et epidemico-contagiosa differt. A multis autem et iis attentissimis observatum est, hoc in morbo nonnunquam deesse petechias. Apparere solet haec eruptio versus diem quartum, evanescere versus diem octavum. Coniuncta esse solet cum eruptione aliqua morbi remissio.

Sudamina sive Hydroa quae dicuntur apparere solent

in morbi initio neque sunt coniuncta cum aliis signis memoratu dignis neque quidquam valent ad prognosin.

Vesiculae non pellucidae, area rubra circumdatae mox miliaribus quae dicuntur rubris, mox pustulis similes. Erumpunt sine iis signis, quae miliarium eruptionem praegredi solent et quidem tempore criseon. Sunt autem boni ominis. Nonnunquam observatur talis eruptio boni ominis in labiis.

Cutanea eruptio quaedam singularis, apparens in albarum vesicularum forma et quam false nonnulli miliaria appellant. Namque iam Schoenlein observat vesiculas has non esse repletas fluido sed aëre et quidem eodem aëris genere, quod in vasis sanguiferis nonnunquam inveniatur. Sunt autem vesiculae illae signa febris putridae, atque aliis quoque in morbis, ut in hydrocephalo (teste Wichmann) occurrunt. Ceterum pessimae sunt notae. Dignoscere eos licet ex pelluciditate et fluido deficiente. Nonnunquam tam parvae sunt, ut tunc demum cerni possint, si oblique obtutum intendas in cutem. Area rubra non adest.

Erysipelas ab Eisenmanno quidem inter eos morbos numeratur, qui cum typho coniuncti esse non possint. Contra Chomelius, celeberrimus ille Francogallus, dicit, a se quater in typho faciei erysipelatis eruptionem observatam. Quorum duorum casuum accuratiorem historiam narrat. In priore enim apparuit die morbi trecesimo quarto atque duravit usque ad diem trecesimum sextum. Adfuerant die nono maculae roseolae. Chomelius notat illo in casu perspicuum esse, mortem superveniente erysipelate, quum spes adhuc adesset, fore ut aegrotae vires maxime debilitatae roborari possint, mortem igitur esse celerius adductum. Namque ulcera, quae in intestinis aderant, iam cicatrisari coeperant. In altero casu apparebat erysipelas die trecesimo primo febris pituitosae typhodis et obtegebat nasum et aures et totum fere latus dextrum faciei et colli et partem calvariae.

Die trecesimo quarto erysipelas fere evanuit. Aegrota iacebat in sopore fere comatoso. Noctu aderat narium epistaxis. Mors venit die trecesimo quinto. Sectione instituta inveniebantur in superioribus ilei partibus nonnullae glandulae tumefactae, partim exulceratae, colore cinereo imbutae. Tunica mucosa solito crassior et indurata. Affuerat in abdomine die nono roseola sparsa.

Videmus hac de re certare Eisenmanni cum Chomelii opiniones. Cuiusnam autem opinio rerum natura nitatur, diiudicare nostrum non est. Certant quoque, qui erysipelas in typho occurrere posse contendunt, de complicationis illius dignitate prognostica. Namque quum Blasius cl. in praelectionibus suis chirurgicis doceat, erysipelas esse criticum, quum bonam morbi crisin in typhode febri secum ferat, Chomelius dicit, se in omnibus casibus, ubi complicationem illam viderit, mortem instare reperisse.

Caput II.

De typhi notione semper opiniones apud artis peritos huc illuc divergebant. Quae autem nunc illa de re sententiae saepissime iactitantur, hoc in momento inprimis discrepant, quod illi quidem censeant esse tractus intestinalis affectionem, quae nuperrime perscrutationibus accuratissimis anatomicis indagata est, hanc igitur affectionem localem esse primariam. Phaenomena autem constitutionalia signa tantum esse prodeuntia ex corporis consensu, quod sive per nervos, sive per sanguinem, cuius mixtio depravetur resorptione productorum pathicorum in tractu intestinali depositorum, afficiatur secundarie. Sententiam illam inprimis secuti sunt Francogalli atque primus Broussasius, tunc

Chomelius et Bretonneau. Aliis autem pathema constitutionis est primarium. Namque causa quadam specifica irritati et nervi et sanguis (quorum amborum affectio propria est iis morbis, quos constitutionales voco) eum in modum functionem vitalem abnormem ineunt, ut sive in membranis mucosis sive in cuti externa sive in ambobus eruptiones illas gignant, quas cum typho saepissime esse coniunctas novimus. Similem in modum Eisenmannus quoque typhi notionem definit. Distinguit enim in decursu febris typhodis productivum, ut ita dicam, quoddam et reactivum. Productivum illud hisce momentis constituitur: Pellicitae sive ad genesin primariam causis variis, sive ad reproductionem typhi ipso contagio vitales functiones vegetativae eum in modum a regula discrepant, ut venenum quoddam typhicum gignant. Ad id efficiendum adesse debet in sanguine germen sive radicale quoddam typhi. Nervi autem et sanguis in membranis mucosis formant organa nova, enanthemata, in quibus contagium typhicum quasi a nervis foecundatum excernitur. In quibusdam autem typhi formis vegetatio illa morbida nihil afficit praeter membranas mucosas, sicut plantae quaedam nonnisi sub terra vegetant, — apud alias typhi species membranarum mucosarum eruptiones similes sunt bulbis et tuberibus radicis, quum flores apparent in cuti externa tanquam exanthemata. Reagit autem corpus et contra germen illud typhicum et contra typhi contagium. Quae reactio et localis et universalis est.

Est igitur typhus morbus acutus exanthematicis febribus similis. Febris typhodis indolem ab indole febrium exanthematicarum discrepare, id est, in typho adesse inde ab initio febrem adynamicam, id eo nititur, quod morbi causa proxima (idem, quod Eisenmannus radicale typhi sive typhogenium appellat) quae nervos et sanguinem ad functiones illas abnormes impellit, per se ipsa priusquam in

corpore sit reproductum modo tam deletario et vitae hostili nervos et sanguinem afficit, ut febris eruptionis ipsa cum viribus valde debilitatis ingrediatur. Sed non semper illo modo res sese habet. Namque nonnunquam fit, ut in principio typhi febris habeat indolem inflammatoriam. In ceteris autem febribus exanthematicis causa proxima morbi modo non ita quasi narcotico nervos et sanguinem afficit, ita ut febris indoles in morbi principio saltem sit erethica, et tunc demum, quum contagium iam in corpore procreatum est, ut in variolarum stadio suppurationis, aut suppressa cutanea eruptione, tunc igitur morbus ita potest vires deprimere, ut nunc hic quoque febris habeat indolem adynamicam. Quum autem quaeramus, quaenam sint signa typhi pathognomonica, inveniemus: I. febris indolem non typho esse propriam, sed ut iam supra dictum est, eam occurrere posse in aliis quoque corporis statibus, II. exanthema illud maculosum neque esse comitem ita perpetuum, neque ita significantem, ut possit pro signo pathognomonico haberi, aliam quoque eam esse in aliis typhi speciebus, quum eruptio cutanea, quae apud typhum petechialem occurrere solet, longe discrepet ab ea, quae in nostratium typho cerni solet et petechias adesse posse in aliis quoque morbis, ut in morbillis variolis scarlatina. III. Intestinalis tractus autem affectio, quam in typho invenimus, forsan minus adeo perpetuus typhi comes est, quam eruptio illa cutanea. Imo affectio tractus intestinalis in Anglia, quamvis ibi viri artis periti eam ejus habeant pretii, quo digna est, adhuc multo rarius in typho reperiri videtur, quam apud nostrates. Praeterea si affectione illa tanquam signo typhi pathognomonico uti velimus, apud illos autores, qui antequam mutatio illa in tractu intestinali indagata est, vixerunt, qui igitur nihil de statu membranae mucosae ilei adnotaverunt, apud illos igitur saepe inscii erimus, utrum

de typho revera sit sermo. Quoniam igitur typhum morbi esse decursum veneno specifico morbifero nisum declarassemus, inprimis erit ratio habenda momentorum aetiologicorum et totius morbi decursus. Certissimi autem erimus, utrum revera venenum typhicum corpus invaserit, iis in casibus ubi contagium affuisse demonstrare poterimus, aut ubi adest typhi epidemia. Namque hoc in casu ultimo, id est in typhi epidemia, haud facile dubitandum erit, utrum in casu quodam adsit typhus, annon.

Similem in modum apud exanthemata statuitur, ex principio quodam morbi (sive e causa morbi proxima) sanguinem et nervos ad talem functionem morbidam esse impulsos, ut n cuti externa eruptionem cuique exanthematis speciei proprium evocent. Simul venenum morbiferum in cuti eum in modum reproduci, ut ex cuti aegroti idem morbi decursus possit in alio provocari. Febrem, quae eruptionem comitetur, esse effectum ex morbi causa proxima, eam autem febrem, quae secundaria vocetur, prodire ex veneno morbifero reproducto atque nervos et sanguinem (hunc quidem resorptione) afficiente. Cum autem hic quoque eruptio cutanea et nonnunquam, quamvis rarissime, desit, et occurrere possit sine febre exanthematica, hic quoque maxima habenda erit ratio momenti, quod dicitur aetiologici, id est: certissimi erimus, si modo adesse aut contagium aut aëris constitutionem epidemicam demonstraverimus.

Caput III.

Complicationes igitur typhi cum febribus exanthematicis adesse dici potest:

1. Ubi in febris cuiusdam exanthematicae decursu phaenomena occurrunt, quae sint typho propria. Primum igitur

huc pertinent casus illi, in quibus dicier solitum est: variolas vel morbillos vel scarlatinam fieri nervosos. Hic igitur erit demonstrandum, saevientibus uno eodemque loco et typhi et febris alius exanthematicae epidemiis facile fieri posse, ut in febris huius exanthematicae decursu phaenomena typhica occurrant. Probatum enim inde videbitur modificationem illam febris exanthematicae ex typhi concursu originem ducere. Mihi mehercle haud longe a vero discrepare videtur sententia, qua statuatur illis in casibus persaepe rem ita sese habere. Praeterea huc pertinent casus illi, ubi eruptio cutanea typhica, id est inprimis petechiae, occurrunt apud alia exanthemata. Atque hic quoque fortasse demonstrari licebit petechias ex eo oriri, quod typhicum ut ita dicam venenum simul cum exanthematico corpus idem invaserit. Cum autem ad casus eiusmodi recte diiudicandos mihi quidem opus esse videatur et multos libros perlegisse et saepissime quae sit rerum natura propria experientia perscrutatum esse, et cum hoc in libello nihil aliud ego persequar, quam ut observatam iam esse typhi cum variolis complicationem demonstrem, his igitur de caussis viris et in vita et in libris peritioribus tribuo, ut operam dent ad casus, de quibus dixi, recte interpretandos.

2. Ubi in typhi decursu phaenomena occurrunt, quae sint febris exanthematicae. Hic primum quaerendum videtur utrum ex concursu veneni cujusdam exanthematici in corpore typho affecto fieri possit, ut ea potissimum organa, quae in febris, quae concurrerat, exanthematicae decursu saepissime affici solent, hic quoque inprimis laborent. Demonstrandum igitur erit, iis in casibus, ubi morbillorum e. g. sive aëris constitutio epidemica sive contagium ipsum in corpus typho correptum invaserit, saepissime fieri, ut membrana mucosa bronchialis, quae quidem in morbillorum decursu maxime laborare solet, imprimis afficiatur, atque idem in scar-

latina de faucibus. Sed illam quoque quaestionem viris peritioribus tribuo.

Postremo huc pertinent casus, ubi in typhi decursu apparent cutaneae eruptiones exanthematum simillimae. Occurrere autem possunt in typho sine ulla complicatione eruptiones cutaneae, quorum jam mentio est facta: roseola, petechiae, sudamina, vesiculae herpeticae, vesiculae emphysematosae. Quum autem eruptiones herpeticae sint nonnunquam pustulis simillimae, tam facile occurrere poterit deceptio, ut ex pustulosa eruptione sola haud merito concludi possit, adesse typhi cum variolis complicationem. Complicationem autem adesse justo jure tum dicemus, si probatum nobis erit, aut una saevientibus typhi et variolarum epidemiis, aut ubi contagium specificum affuisse eluceat, pustulas variolosas occurrisse in corpore aegroti, qui typho laboraret. Talis modi est noster casus. Namque in cubiculo adjacenti aderant duo aegroti, ex quibus per januam apertam variolarum contagium invadere poterat in miserrimum nostrum. Atque antecedebat unamquamque novam pustularum eruptionem febris augmentatio et magna totius status depravatio. Imo erant nonnulli, qui quoniam spes optima adfuisset, fore ut aegrotus gravissimam typhi affectionem superet, dicant variolarum concursu factum esse, ut miserrimus ille mortem obiret. Differebat autem variolarum apparitio nostra ab ea, qua incedere solent, et longo intervallo, quo sequebatur altera alteram eruptionem et brevitudine temporis, quo in cuti durabant nec non paucitate pustularum.

Neque est observatum nostrum solum, quo complicatio ejusmodi occurrebat. Namque saepe quidem typhi et variolarum epidemiae alternant, sicuti Sydenhamus celeberrimus observavit, pestilentiae illae dirissimae anni mdclxvi tempore variolas et alias exanthematicas febres evanuisse.

Et Eisenmanno teste variolarum eruptio in Aegypto semper est signum, brevi fore ut pestis evanescat. Sed contraria observavit optimus ille et candidissimus observator Huxhamius [1]):

Dicit enim: „Quando contagium cum hac vel illa constitutione accedit et cum ea simul agit, unam vel alteram vel potius febris cum variolis conjunctae excitabit speciem. Nam haud raro profecto pertinacem admodum febrem paucas quidem valdeque discretas ast malae indolis variolas comitari deprehendimus. Ego quidem febrem aliquam epidemicam manifeste simul cum variolis incidisse et contagio variolarum variatum esse tantummodo morbum, vel, ut melius dicam, febrem epidemicam simul cum variolis unum eundemque hominem affecisse saepius observavi. Quod saepissime annis mdccxl, mdccxlj et mdccxlv p. Chr. n. accidit, quibus febris violenta epidemica pestilentiarum genere his praecipue locis (Plymuthii) inter nautas, milites et captivos praecipue ultimo horum annorum saeviebat. Plerumque evidentia symptomata febris malignae cum variolis conjuncta occurrebant, ideoque morbus insigniter erat mortifer, contra vero hominum plurimi locis vicinis, quibus nullum cum nosocomiis erat commercium et qui alias satis valebant, specie benigniori variolarum correpti sunt.“ Et alias [2]) dicit: „Variolas interdum febris quaedam maligna aut petechialis comitatur, ubi sanguinis crasis omnino dissolvitur, nigrae lividaeque apparent maculae, haemorrhagiae accedunt et pustulae mox post eruptionem nigrae gangraenosae et cruentae fiunt, idque saepissime fieri solet, quando variolae paucae sunt et discretae“.

Describit autem morbum illum, de quo mentionem facit,

---

1) **Huxhamii dissertatio de variolis in „Huxhamii opera edd. Friedreich.“ pag. 440.**

2) **L. c. pag. 438.**

petechialem hocce modo[1]): „Maio anni mdccxl: Iamque etiam grassatur febris putrida petechialis, quae plurimos nautas orco demittit atque inter popellum multos. Hae febres saepe complicatae videntur et unitis viribus saeviunt, pulmonaria nempe et petechialis. Variolae nunc magis frequentes sunt ut plurimum tamen mites, licet parce admodum exspuitur".

Junio eiusdem anni:[2]) „Variolae frequentiores sed ut plurimum benignae indolis. Febris nautica pestilentialis iam saevit maxime.

Ineunte vere ad hunc portum appulsae sunt naves duae bellicae, Panther et Canterbury, quarum posterior mox a mare mediterraneo. Ex his aegroti plus quam ducenti ad terram protinus delati sunt horumque pars maior febre maligna imo pestilente laboravit:

Levis rigor, mox subitus ardor in certo ordine. Pulsus admodum inconstans: incitatus — depressus. Gravedo capitis aut dolor acutus occipitis aut sincipitis, photophobia, dolor oculorum. Sopor perpetuus, parcus somnus, tinnitus aurium, vertigo, foedus valde et amarus in ore sapor. Vomituritiones biliosae immixta pituita, lingua flava aut fusca, raro arida, sed in medio rauca. Debilitas, anxietas, terror, dolores errant per omnes artus. Urina tenuis, cruda, aquosa aut lurida, saepe rutila.

Tribus aut quatuor diebus post febris est vehementior, phrenitis aut coma vigil, adspectus torvus et fulvus, oculorum rubor, iactatio perpetua, anxietas summa, furor immanis, levis desipientia. Petechiae violaceae lividae fuscae imo et ipsae nigrae sextum inter diem et undecimum saepissime prodibant; nunc citius nunc tardius; quo magis floridae, eo melius; fuscae tamen quasi cutis lenticulae, parvae innumerae male semper significabant at pessime omnium vibices

1) Huxham de aëre. l. c. pag. 188.

2) L. c. pag. 193.

et ungues atque summi digiti lividi aut plumbei. Funestum utique semper est hoc ultimum in morbis acutis. Permagna praecordiorum oppressio adfuit ab initio, aucta quotidie cum stringente quodam, hoc enim semper plorabant, cordis angore et respiratione tremula et singultienti quasi, imo saepe diro cum singultu ac languore summo, haud raro ad deliquium usque maximum portendebat discrimen, cum et iam quoque tremores, subsultus tendinum, capitis vacillatio, incerti rigores frigidique sudores ingruerent. Pedes erant saepe frigidissimi, dum facies, genae praesertim, magno flagrabat ardore. Profusus interea et valde foetidus sudor manabat talos ad usque. Pulsus interim exilissimus erat, at quam citissimus. Iam iamque instabat mors. Frequenter autem diarrhoea foedissima miseros colliquabat, arida prorsus facta ac dura cute corii ad instar, dum lingua quasi fuerat indurata fumo, rigebat, inpos fere motus nedum loquelae. Haud raro etiam in summo morbi statu aphthae subnigrae, ulcerosae totas fere fauces cruciabant gulamque, quas paulo post perpetuus insequebatur singultus: saniosa inde aut gangraenosa dysenteria, aegrotos brevi conficiens. Levis attamen obrepens alvi fluxus circa undecimam ceu arte ceu sponte eveniens, saluti fuit plurimis, modo nec limpidus nimium. Iam nunc quoque, morbi nempe statu, interdum maximum attulit levamen larga pustularum eruptio more veluti variolarum, quae tamen nil nisi tenuem et acrem ichorem continebant. Erumpebant etiam aliquando multo minores at urentes admodum, quae vero in squamas mox abirent, salutiferae quoque et hae. In quibusdam peralbas quasdam et latas maculas notavi, paullo eminentes, quasi ex urticae morsu, hae vero aegrotantes plurimi, ubi nihil horum plane, sed aut parotides aut tubercula, aut in auribus apostemata eos sublevabant. Omnibus erat fere magna surditas, diu durans. Multis fuit narium haemorrha-

gia salutaris, at pessimum, ubi paucae acres subcruentae guttulae destillabant. Nec utique iuvabat semper copiosa, nam haud raro longe nimium profundebant nares, imo ad syncopen usque, praesertim sub Julii finem, cum esset saepe prodiga valde, tunc etiam dysenteria cruenta saepius accederet. Vix ullam memini febrem, in qua scotomiae et fulsi oculorum splendores erant tam frequentes. Nihil utique novi aeque certum victricis naturae signum, ac liberum valde et copiosum sputum, benigno prodeunte sudore, aut fluente affatim fulva et crassa urina. Perraro autem sedimenti aliquid deposuit lotium per totum morbi decursum, imo cum interdum crassum fuisset admodum per horas aliquot, mox tenue prorsus reddebatur. Signum hoc semper est male judicatae febris atque adeo haec vel e levissima causa fuit recidiva. Si quis carnem comederet vel piscem, nisi probe purgatus et confirmatus bene, certo certius hoc passus est, magno hercle cum vitae periculo nec minus sane subiret discrimen saepe ab acriore cathartico. Mihi quidem haud levis noxa popello accidisse visa est a nimia comestura piscium, qui abundantissime hac tempestate undique scatebant, praecipue scombri, quippe qui lentos generant ac rancidos humores. Sudor vel sanissimi hominis, qui multo utitur pisce, longe magis foetidus est, quam si carne solum et pane vesceretur, quinimo jam diu notum est, quod nimius piscatus scorbutum infert et morbos cutaneos. Prohibent purgationem per inferiora pustulae aut exanthemata jam erumpentia, exspuitio copiosa adveniens, nam vel in peripneumoniis diarrhoea saepe sputa supprimit prorsus, quod quoque in variolis haud raro accidit infeliciter minusque commode semper fert catharsin magnus virium languor.

Mense ejusdem anni Julio haecce adnotavit noster:

Variolae epidemicae mites plerumque. De pesti haecce:

Plurimis sub morbi finem adest ulceratio faucium acerbissima, etsi initio levis tantum erat aspritudo. Parotides, bubones, furunculi admodum dolentes haud raro nonum inter morbi diem et decimum quartum erumpunt. Salutaria haec plerumque, maxime si probe suppurant, pessima utique si mox recedunt. Quibus in meatu auriculari aut pone aures aut per cervices abscessus enati sunt, maxime si circa labia pustulae plures urentes, certa fere spes salutis effulsit.

Mense anni insequentis (mdccxli) Martio haecce notavit:[1])

Variolae ubique epidemicae plerumque tamen mitiores, nisi inter nautas, quorum plures quidem pereunt, una forsan conspirante febre maligna, quae permanet adhuc. Credo etiam, quod scorbutica lues, qua hoc genus hominum iam maxime afficitur variolas magis exitiales reddit. Haud raro mictus adest cruentus, interdum sputa sanguinolenta.

Alia quoque eiusdem modi observatio adest. Namque Carolus Strackius tale quidquam observavit. Morbum petechialem qui anno 1760 et sqq. grassabatur hocce modo describit :[2])

Ipse morbus post prodromos exhibuit stadium irritationis cum symptomatibus vulgaribus. Nono die inde a prodromis, etiam tardius maculae comparebant roseae rubrae lividae evanidae post tres dies, aliis serius etiam post mortem vel febrem deflagrantem superstites. Alii cum multis hisce non egregie aegrotabant. Eodem tempore et sine febre ullaque aegritudine universali petechiae in conspectum venerunt

Febris facta exanthematis eruptione minime remittebat

---

1) L. c. pag. 211.

2) Observationes medicae de morbo cum petechiis anno 1760 et sqq. grassante ed. 1766. Cf. Artis medicae principes de curanda febre typhode comparatos in consp. hist. d. Ochs pag. 481.

potius, nisi auxilium adhibebatur magis magisque ingravescebat; quare minime critica macularum efflorescentia existimanda est. Etenim crescebat calor, pulsus intendebatur, fortis celer, oculis rubefactis, delirio perseverante, tremebant manus, linguae et oris siccitas ac tussis sicca urgebant. Ardor magis magisque instabat, cum respiratione anxia, corporis nudatione, floccilegio, tendinum subsultibus. Denique algebant extrema, oculi tristes languebant et retracti, pulsus iam evasit exilis inaequalis; nasus acuminatus, cutis pallida, et mors scenam claudebat ante diem vigesimum cum sphacelismi indiciis, etiamsi petechiae superessent. Sic laborantium non facile aliquis absque, artis auxilio convaluit, nisi aut sine febre petechiae existerent aut in alium morbum desinerent, aut putridum alvi profluvium exortum esset.

Qui vero salutem recuperabant vel medicinae vel naturae beneficio, post nonum diem difficulter audiebant amisso simul oculorum rubore. Obdormiverunt velut soporosi, qui hactenus vigiliis erant fatigati. Nonnulli tamen sine his omnibus morbum abstergebant; interea tenax sputum naribus et ore eiiciebatur, mens iterum constabat, pulsus iam mollis, lentus, ad normam rediit. Postea saepe copiosus sudor acidus unum vel plures per dies, semper quidem febre dilapsa, promanabat. Sopore autem detenti post quinque dies sani prorsus expergefiebant. Nonnullis pedes a morbo intumuerunt, alii appetitu ciborum destituti, alii rursus maxime esuriebant nec non cibos facile ferebant, optime habentes; alii, quibus corpus forte nondum satis purum evasisset in tertianam febrem inciderunt. Citius seriusve convaluerunt, prout magis minusve aegrotassent, vel rite aut perperam curati essent.

Peiores comperiebantur petechiae diffusae quam circumscriptae. Illae quidem minus conspicuae fiebant, quapropter medicum saepe fallebant. Paulo post quam eva-

nescebant, nonnunquam plurimus sanguis de naribus prorumpebat, et mors in propinquo erat. Sanguis ille, pertenuis, sex ad octo libras pondere passim exaequabat, et si fluere ita desierat, febris protinus exardescebat, cum delirio assiduo; tertio die mors ex gangraena. Remedio morbus nulli cedebat, ne venae sectioni quidem, sive in principiis instituta, sive repetita fuerit. — Contra vero, quibus cum circumscriptis sanguis prodiit, iis nec multus fluebat, nec dissolutus sed sani similis, atque evaserunt perinde ac quibus nihil tale acciderat. Eadem dominante constitutione multi simili labore languebant, tamen absque petechiis; hi eadem curandi ratione restituti sunt.

Ineunte constitutione ac per spatia priora quo tempore maxime communis circumibat morbus, perexitiosus existebat; serius neque eo decursus ordine conspicuus erat, neque in universum adeo difficilis, quasi miasma morbiferum (quemadmodum Sydenhamus diu ante observaverat) tempore et saepe eundo defatigatum esset.

Nonnulli autem variolarum et petechiarum miasmate simul infecti, propterea non pejus habebant; nec singulare quidpiam vitium ex hoc connubio accessit vel ex eo remansit, sed facile convaluerunt, haud aliter ac qui simplices petechias habuerant.

Conclusio.

Ter igitur observatum est, typhum cum variolis sese complicuisse. Apud Huxhamium sicuti in nostro casu distincte expressum est, pustulas in complicatione tali raras fuisse atque discretas, item in eo consentiunt duo haec observata, complicationem talem pessimae esse notae. Sed apud nostrum non aderat typhi exanthema proprium. Apud

Huxhamium autem et Strackium tale quidquam inventum est. Sed in eo discrepat Strackii observatum ab aliis, quod apud eum complicatio non erat mali ominis.

Doceat autem nos cognitio ılla, non licere spe niti, fore ut qui typho affecti sunt a variolis sint immunes, qui autem variolis a typho; et caveamus, ne negligatur quidquam, quod contagium alterius morbi ab aegrotis arcere possit.

Vita.

Natus sum ego Henricus Reinhold ante diem nonum calendas februarias anni MDCCCXXVIII a patre Henrico, medico practico Barmensi, adhuc vivo, matre Guilelma e gente Springmann, quam ante hos sedecim annos mortuam lugeo. Fide evangelica educatus litterarum principia in gymnasio Elberfeldensi didici, quod t. t. Bouterwek florebat directore. Inde cum maturitatis testimonio dimissus et d. X Aprilis MDCCCXLV a cl. Plücker rectore t. t. magnifico inter cives academicos receptus nomen dedi apud Naumann cl. Decanum t. t. spectatissimum medicorum ordinis. Vere anni MDCCCXLVII Halas Saxonum me contuli, ubi d. XX Aprilis a cl. Eiselen, t. t. rectore magnifico inter cives academicos receptus nomen dedi apud cl. d'Alton, gratiosi medicorum ordinis tunc temporis decanum.

Tempore autumnali Bonnam redux d. XXIX m. Octobris inter cives academicos denuo receptus a cl. Loebell t. t. rectore magnifico nomen dedi apud cl. Harless gratiosi medicorum ordinis t. t. decano.

Praeceptores autem, qui per novem semestria diversarum mihi duces fuere disciplinarum hi extiterunt: Bonnae: ill. Treviranus, Goldfuss, Noeggerath, Weber, Dahlmann, Nasse, Nitzsch, Mayer, Plücker, van Calker, Kinkel, Naumann, Schaaffhausen, G. Bischof, Budge, E. Bischoff, H. Fr. Kilian, J. Hoppe, Wutzer, Eulenberg. Halis: ill. Krukenberg, Hohl, Blasius, Volkmann.

Quibus viris omnibus optime de me meritis pium semper gratumque animum reservabo.

Theses.

I.

Variolae cum typho complicitae esse possunt.

II.

Phaenomena quae dicuntur nervosa in variolis occurrentia saepe ex typhi complicatione originem ducunt.

III.

Medicina forensis non est iuris consulti sed solius medici.

IV.

Phrenologia non est scientia.

V.

Fons morborum animi corpus.

VI.

Foetum vivum perforare licet.

VII.

Ulcus syphiliticum primarium est morbus localis et remediis localibus sanandum.

VIII.

Opium inter remedia antiphlogistica eccelsum obtinet locum.